

nocturno tempore commedebant. Et ideo dicitur Orpheus tam dulciter fistula cecinisse, quod lapis desuper lapidem in edificationem civitatis sue faceret salire, quia hi sermonum eius leporine ferinos homines coge^abat mirificarent. Qui taliter civitatem constituit, et homines insimul habitare fecit; in qua etiam oraculum edificavit: inde Neptunia menia appellavit. Que post modo^b, a Troiulo eius nepote, Troia appellata fuit. Que^c paulatim crescens, ad immensam magnitudinem devenit. Deinde relique silvestres gentes ab eis exemplum accipientes, in unum convenerunt, et sic civitates et castella fecerunt. Post multum vero tempus, divicias superbiasque facientibus, postea bellis nascentibus, Memorion ab obsidione^d Athenarum^e rediens Troiamque perveniens, Casandram Priami^f sororem subripuit secumque portavit; de qua postea filios genuit. Priamus sibi Ecu^gbam matrimonio copulavit; de qua Hectorem, Troiulum, Paridem et alios liberos habuit. Que cum gravida esset et nondum puerum peperisset, sompniavit¹, se quandam facem concepisse, cuius igne totam civitatem videbat ardere. Que retulit Priamo. Ille autem precepit, ut stultorum est consuetudo virorum quidquid^g habent in corde patefacere mulieri, quidquid^h ipsa pareret, sibi festinanter aduci, quia volebat, etiam si lapis esset, terere ventoque proicere. Tempore pariendi explecto, Ecuba, ut mox² est matrum plus se diligere filium, peperit et vocavit Paridem ipsum, et occulte suo vacario in nemore iussit ad nutriendum dari; et iacintumⁱ pulcherrimum manutergio involutum presentari fecit Priamo: quem ut vidisset, ventoque sufflavit. Bovarius autem predictus custos delicate nutrit puerum, ut debebat suum dominum: qui ut crevit, secum ad armentum portavit eique totum ornamentum gregemque commisit. Grege vero illo custodiente, duodecim latrones insultum fecerunt ac vitulos necare ceperunt. In quos irruit eosque prostravit et spolia eorum presentavit: inde ille gaudens securus eiusque gregem commisit^k. Parvo post transacto tempore, cum^l quidam vicini sui gregis taurus suo cucurrisset in prelium et accidisset ut suum vicisset vicinum; ille nempe recte diiudicans, florum coronam victoris imposuit cornibus: victus improprium^{m.3} taurus in longinquis recessit et maioribus arboribus quas movere nequibat, innixus circa ipsas tam diu pavit, quam usque eas cornibus movere potuit: deinde ad gregem rediit et de victore victoriam habuit. Moxque Paris de capite suo diademaⁿ abstulit et illius fronti constituit. Cuius fama per universa climata divulgata: omnes mirabantur tam recta consilia. Eodem anno copulata est matrimonio

a) congebat 3. b) modum corr. 3. c) qui 2 habere videtur. d) obsidine 3.
e) Athenorum 2. 3. f) Priami 2. g) qui quid habere 2. h) qui quid (Qqd) 2.
i) ras. 2. k) comisit 2. l) deest 2. m) in proprium 2. n) diademū 3.

1) Cf. Hygini fabulam 91. 2) i. e. mos. 3) 'schimpflich'?